



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

13 Vtrum habens duas Ecclesias, teneatur vtriusque officium dicere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

*Utrum sacerdos parochialis teneatur credere suo subdito dicenti se alteri esse confessum.*

4. di. 17. q. 3. ar. 3. q. 5. ad 42.

**A**D TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod sacerdos parochialis non deat credere suo subdito dicenti se alteri esse confessum, ut per hoc ei Eucharistia det. Frequenter enim sola confessione alii conteruntur, qui prius contriti non fuerunt; sed sacerdos debet subditum suum quantum potest ad bonum in ducere, ergo videtur quod omnino ab eo expetere debeat, quod sibi confiteatur.

**¶** Præter. Prover. 27. dicitur pastori ecclesie. Diligenter agnosce vultum pecoris tui; sed hoc nullo modo melius potest, quam per confessionem, ergo debet ab eo exigere quod sibi confiteatur.

**S**ED CONTRA. Si sibi confiteretur, posset dicere quæ velle, & credere ei. ergo etiam hoc sibi debet credi, quod sit confessus.

**R**ESPON. Dicendum, quod in foro iudiciali, creditur homini contra se, sed non pro se, in foro autem penitentia, creditur homini pro se & contra se. Est ergo distinguendum, quod dupliciter sit impedimentum quo aliquis a perceptione Eucharistie impediatur. Si enim sit impedimentum ad forum iudiciale pertinens, puta, excommunicatio, non tenetur sacerdos suo subdito credere, vel quem excommunicatum nouit, nisi sibi de absoluteione constet. Si autem sit impedimentum quod ad forum penitentia pertinet, peccati, tenetur ei credere, & iniuste agit si denegat Eucharistiam ei qui phibet se confessum & absoluteum ab eo qui absoluteum potuit vel autoritate apostolica, vel autoritate Episcopi.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, quod illud bonum quod in confessione homines consequuntur, iam consecutus est ille qui confessum se dicit, si verum dicit. Si autem falsum dicit, pari ratione posset falsum dicere confitendo, nec potest aliquis alicuius hominis autoritate compelli ad confitendum peccatum, quod alteri confessus est, qui absoluteum potuit: quia sicut iam dictum est confessio peccatorum quoddam sacramentale est, diuino imperio subiactens, non humano.

**A**D SECUNDVM Dicendum, quod spiritualis pastor vultum pecoris sui debet diligenter agnoscere: considerando exterius vitam eius, sed per modum confessionis non potest diligentius scrutari, sed oportet quod credat ea quæ sibi a suo subdito dicuntur.

QVÆSTIO VII.

**D**EINDE quærebantur duo de his quæ pertinent ad clericos.

**¶** Primo, De officio ecclesie, utrum ille qui est præbendatus in duabus ecclesijs in die, quo diuersum officium sit in utraque, ecclesia, debeat utriusque officium dicere.

**¶** Secundo, De studio theologie, utrum aliquis teneatur dimittere studium theologie, etiam si sit aptus ad alios docendum, ad hoc quod intendat salutem animarum.

ARTICVLVS XIII.

*Utrum habens duas ecclesias, teneatur utriusque officium dicere.*

Artic. 67. & 129. c.

**A**D PRIMVM sic proceditur. Vt quod aliquis in tali casu debeat utrumque officium dicere.

**R**ONAS enim debet respondere emolumento. Ille ergo qui habet emolumentum præbende in duabus ecclesijs, debet onus suffere utriusque, ut videtur; ecclesie officium dicat.

**¶** Præter. Iustum esse videtur, ut si habet maius emolumentum ab vna ecclesia in qua forte cantatur prolixius officium, quod etiam maius onus subeat prolixius officium dicendo, non ergo ad eum pertinet electio, sed vel debet utrumque dicere, vel debet dicere officium ecclesie, in qua habet pinguius beneficium.

**S**ED in contrarium inducitur consuetudo.

**R**ESPON. Dicendum, quod supposito quod aliquis licite sit præbendatus in duabus ecclesijs, sed dispensatione, considerandum est quod ille qui in aliqua ecclesia præbendam accepit, duobus obligatur, scilicet Deo, ut ei debeat laudes exolvat pro eius beneficijs; & ecclesie, de qua accipit suum. Ea vero quæ ad ecclesiam pertinent, subiactent dispensationi prætorum ecclesie, & ideo hoc debitum quod debet ecclesie, debet exolvere secundum quod statutum est, vel per seipsum, si sit præbenda quæ requirit residentiam; vel per vicarium, si hoc sufficit licitum ecclesie statum ac consuetudinem: sed debitum quod debet Deo, per seipsum debet exolvere: non refert autem quantum ad Deum, quibus plerumque & hymnis Deum laudet, ut puta, utrum dicat in vesperis. Dixit Dominus, vel, Laudate pueri Dominum, nisi quantum ad hoc quod homo dicit se.

**H** qui maiorum traditiones: & quia laudes Deo dicit quasi vnus homo, sufficit quod semel officium dicat secundum consuetudinem alicuius ecclesie, quarum est clericus. Sed de electione officiorum licet videretur quod debeat dicere officium illius ecclesie, in qua maiorem gradum habet, puta, si in vna sit decanus, & in alia simplex canonicus, debet dicere officium ecclesie in qua est decanus. Quod si in utraque ecclesia fuerit simplex canonicus, debet dicere officium dignioris ecclesie, quantum tunc in minori ecclesia habeat opulentioris præbendam, quia temporalia nullius momenti sunt spiritualibus comparata. Si vero ambæ ecclesie sunt æqualis dignitatis, potest eligere quodcumque officium magis uoluerit, si fuerit ab utraque ecclesia abiens. Si autem fuerit in aliqua earum præsens, debet se conformare illi, cum quibus conuersatur.

Et per hoc patet responsio ad obiectionem.

ARTICVLVS XIII.

*Utrum uacans salutem animarum peccet, si circa studium tempus occupat.*

**A**D SECUNDVM sic proceditur. Vt, quod aliquis qui potest salutem animarum curam impendere, peccet si circa studium tempus occupat. Dicitur enim ad Gala. ult. Dum tempus habemus, opere mur bonum: nulla est enim grauior iactura quam temporis, non dicit ergo aliquis totum tempus in studio expendere, differens salutem animarum curam impendere.

**¶** Præter. Perfecti tenentur ad id quod melius est: sed religiosi sunt perfecti, ergo maxime religiosi debent dimittere studium ut salutem animarum in salutem.

**¶** Præter. Peius est errare in uia morum, quam in uia peccatorum: sed prælatus tenetur reuocare suum subditum, si uideat eum errare in uia peccatorum, ergo multo magis tenetur eum reuocare ab errore, qui est in uia morum: est autem error, si homo prætermittit quod melius est, ergo prælatus debet subditum cogere ut melius